BRUNO DE SEGNI

Oberitalien, 1. Hälfte 14. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

bus. Ac si dicat. Gloria laus et honor qui michi
debetur non amodo simulacris exhibeatur. Que
prima fuerunt ecce uenerunt. Finis enim le
gis xps est. In passione eius completa sunt que
de eo prophete dixerunt. Noua quoque ego annun
tio. Ea scilicet que ad nouum pertinent testa
mentum. et que post xpi resurrectionem facta.
Antequam oriantur audita uobis faciam. Que
sunt autem que audiri faciet nisi apostolorum pre
dicationem: gentium conuersionem et ydolorum
destructionem. Vnde et subditur.

Cantate domino canticum nouum laus
eius ab extremis terre. Qui descenditis
in mare et plenitudo eius insule et habitato
res earum. Leuet desertum et habitatores eius
petre de uertice montium clamabunt. Po
nent domino gloriam et laudem eius in
insulis annuntiabunt. Admonet propheta
apostolos cantare canticum nouum ut quia do
minus noua annuntiat et antequam oriantur
audita facit ipsi quoque omissis ueteribus nouum
canticum cantare incipiant. Laus eius ab
extremis terre resonet usque ad extremas terras
secundum illud. In omnem terram exiuit so
nus eorum et in fines orbis terre uerba eorum.
Vos inquit cantate qui descenditis in mare
uos quos de mari xps uocauit. Qui relicto
stagno Genesareth ingressi estis hoc mare mag
num et spatiosum. Et plenitudo eius insule
et habitatores earum uobis cantantibus respondeant
omneque humanum genus simul uobiscum de
um laudet. Leuet desertum uocem suam et ci
uitates eius ut apta uoce xpm confiteantur
qui in laudibus demonum concrepare solebant.
In domibus enim cedar habitabitur quoniam po
pulus qui sedebat in tenebris uidit lucem mag
nam. Cedar namque tenebre interpretatur. Habita
tur ergo domus cedar quoniam peccatores ad
fidem conuersi xpm in se hospitem recipere merue
runt. Laudate habitatores petre. Petra autem erat
xps. Super quem ecclesia fundata xpm laudare non
cessat. De uertice montium clamabunt. Illi ui
delicet quibus dicitur. Super montem excelsum a
scende tu qui euangelizas syon. Hi autem sunt
apostoli doctores et episcopi. Ponent domino gloriam
ubique enim predicantes. Vide et subditur. Et
laudem eius in insulis nuntiabunt dicentes.
Audite insule et attendite populi de longe. Se
pe enim iam de insulis diximus.
Dominus sicut fortis egredietur. Sicut

uir preliator suscitabit zelum. Vociferabitur et
clamabit super inimicos suos confortabitur.
Tacui semper silui patiens fui sicut pariens lo
quar. Dissipabo et absorbebo simul desertos fa
ciam montes et colles et omne gramen eorum
exsiccabo. Et ponam flumina in insulas et
stagna arefaciam. Cum tales inquit e
runt sui puta qualis erit dominus. Domi
nus enim quasi fortis constanter contra ini
micos egredietur. Hoc enim in tempore passio
nis fecisse legitur. quando omnes perterriti ce
ciderunt in facies suas. Et sicut uir preliator
suscitabit zelum. Reprehendens enim iniquitates
eorum ad zelum eos et ad iracundiam prouo
cabat. Vociferabitur et clamabit in synagogis
eorum dicens. Qui habet aures audiendi audi
at. Super inimicos suos confortabitur. Quia quo
tienscumque eum temptabant in omnibus suis que
stionibus superati abscedebant. Et dicet. Tacui
semper silui patiens fui. Quoniam sicut ouis co
ram tondente se obmutuit et non aperuit os su
um. Qui cum malediceretur non maledicebat cum
pateretur non comminabatur. Sicut pariens loquar
et conceptum sermonem in lucem proferam. Ii
diu enim excogitaui quid dicere debeam. Dissipa
bo et absorbebo et simul desertos faciam montes
et colles castella opida et ciuitates iudee gentis
ita ut nec in ipsa Ierusalem et monte Syon relinqua
tur lapis super lapidem. Et omne gramen et ui
riditatem et pulchritudinem eorum exsiccabo. Vt
nichil pulchritudinis nichil iocunditatis et sua
uitatis in eis remaneat. Et ponam flumina in in
sulas et stagna arefaciam ut mortua et inutilis
sapientia desiccata iam nullibi terrarum aqua decurrat.
Educam cecos in uiam quam nesciunt. In
semitis quas ignorant ambulare eos faciam.
Ponam tenebras coram eis in lucem et praua in
directa. Hec uerba feci eis et non dereliqui eos con
uersi sunt retrorsum confundantur confusione qui
confidunt in sculptilibus qui dicunt in conflatili
bus dii uestri. Postquam inquit insulas flumina
irrigabunt gentium populus qui cecus erat et
deum ignorabat reducam ad uiam quam prius
nesciebat ut me qui sum uia ueritas et uita sequatur.
In semitis quas ignorabant ambulare eos faciam.
Per quas uel scientiam scripturarum uel uirtutes et bona
opera intelligere possumus. Ipse enim uie domini
nostra et uitas. Ponam tenebras coram eis in lucem
et praua in directa. Vt uidentes et cognoscentes
tenebras et errores suos diligant prauitatem uia